

eis descendit, & ipsi Fratres de Observantia, & Reformati, ut in constitut. *Luce aliter* etc. declarat Leo X. veri & indubitati Fratres Ordinis B. Francisci, & eius regulæ observatores semper fuerunt, ac Divina favente gratia sunt futuri, sine aliqua interruptione seu divisione, a tempore editæ regulæ per B. Franciscum, usque ad præsens. Sub eadem S. Francisci regula etiam militant PP. Capucini, sed habent Generalem aliam à Generali totius Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, à quibus præcisè sunt diversi in statutis particularibus accidentalibus. Sub præfata regula etiam militant PP. Conventuales, ita tamen, ut eam non ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis observent. Rursus sub S. Franciscæ etiam militant Moniales Clarissæ, à S. Clara sic dictæ, servantes, non quidem eandem cum Fratribus Minoribus, sed aliam à S. Francisco tamen institutam Regulam. Tandem sub eodem Sancto Patriarcha Francisco militant etiam Tertiarii, à tertia regula sic nuncupati, siquidem S. Franciscus tres Ordines instituit, sub tribus diversis regulis. Primus fuit Ordo Fratrum Minorum. Secundus fuit Clarissarum; & Tertius fuit Ordo Tertiariorum tam pro viris, quam pro feminis, tam solutis, quam ligatis institutus; vocatur etiam Ordo Penitentium, & viventes in eo, Fratres, & Sorores de Penitentia: eo quod penitentiam agere volentibus specialiter etiam à S. Francisco fuerit intentus.

S. III. Novitius Religiosis

113 Non potest esse quilibet, sed ille tantum, qui requisitas à jure qualitates habet, & defectibus à jure impediendis caret. Ita unanimes, & certa DD. Sententia: Paritibus inductione, qua requisitas à jure qualitates, & defectus à jure impediendes recensentur. Itaque

114 I. Requiritur, ut habeant debitam ætatem, nimirum pubertatis. Ita Sylvester *V. religio 5. quest. 1.* Hyacinthus Donatus *tom. 2. tract. 1. quest. 7. num. 1.* Pirrhing, Pellizzarius, & communis aliorum apud Reiffenstuel in *lib. 3. decret. tit. 31. num. 68. ex cap. ad nostram 8. & cap. cum virum 12. de regularibus*. Ratio est: quia hac ætate primùm discretio rationis, libertas arbitrii, & vires adveniunt ad austeritatem Religionis probandam; præsertim verò, an etiam continentiam servare quis valeat, quod ante pubertatis annos satis experiri nemo potest. Nec obstat Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 15.* requirens ad validam professionem annum decimum sextum completum; quia per hoc non prohibet, quin annus Novitatus citius inchoari possit, sed tantum, ne ante illam ætatem emittatur professio. Pariter non obstat idem Concilium *eadem sessione cap. 16.* statuens, ut expleto anno Novitatus Novitius aut statim ad professionem admittatur, aut statim à Monasterio ejiciatur; quia intelligenda est illa dispositio Tridentini, nisi iusta subdit causa professionem differendi, prout declaravit S. Congregatio Concilii, & cum aliis bene observat Pirrhing *tit. de regular. num. 27.* Ex quo etiam consequitur, cum, qui cupit esse Novitium in aliqua Religione, debere esse rationis bene compotem; nam mente captus, aut furiosus nequit recipi ad Religionem, *ex cap. scilicet tenor 15. de Regularibus etc.*

115 II. Requiritur, ut non sit alteri obligatus; adeoque I. Debet esse liber, non servus. Communis ac certa *ex can. fin. causa 17. quest. 2. & can. qui verè 12. causa 16. quest. 1.* ibi: Neminem servorum suscipi in Monasterium, nisi cum Domini proprii licentia. II. Non debet esse obnoxius ratiociniis sive publicis, sive privatis; nisi prius à ratiocinio dignoscatur absolutus. Iterum communis, ac certa *ex can. 1. dist. 53. ac constitutione Sixti V. cum de omnibus, & Clementis VIII. Regularis discipline*, qui universaliter prohibere, ne reddendis ratiociniis obnoxius, & obligati recipiantur. Est autem ratiocinium redditio rationis confurgens ex administratione rei publicæ, vel privata. III. Non debet esse nimis gravatus ære alieno, talis enim, nisi prius solvat, suscipi non potest. Ita citatæ constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. docentque omnes. Ratio est: quia ingressus ad Religionem est tantum consilii, solutio debitorum autem est de præcepto, quod ob opus consilii negligi non potest. Vide de hac re Patrium Sporer *tract. Prelim. ad præcept. 2. Tab. cap. 4. sect. 4. §. 6. n. 99. & seqq. IV.* Non debet habere tales parentes, qui jam actu sunt, vel ingrediente Religionem filio, brevi erunt in gravi, vel extrema necessitate, supposito, quod in sæculo manens à tali necessitate eos liberare, vel præcavere possit. Ita cum D. Thoma, Miranda, *tom. 1. quest. 17. art. 8.* Rodriguez *tom. 3. quest. 13. art. 5.* & communis aliorum *ex can. 1. dist. 3.* Ratio est: quia propter opus consilii, quale est ingredi Religionem, omitti non potest opus præcepti, quale est, in necessitate præfata parentibus succurrere. Si verò parentes non sint in gravi necessi-

tate, possunt liberi invitis parentibus ingredi Religionem. Ratio est: Quia ad eligendum statum non est necessarius consensus parentum *ex cap. cum virum 12. de regular. ibi: tunc enim, quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem; præsertim ubi Divina urget vocatio. Nec curandæ sunt lamentationes aut minæ parentum; sed potius fortiter contemnendæ juxta consilium D. Hieronymi in Epist. 1. ad Heliod. per calcatum perge Patrem, per calcatum perge matrem; ad vexillum Crucis evola. Nam summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudeliter. Illud tamen cum Rodriguez *tom. 3. quest. 13. art. 5.* Miranda, Navarro, Donato, Barbosa, ac aliis apud Reiffenstuel *cit. num. 79.* notandum, quod, etsi proles absente propriæ animæ periculo Religionem ingrediens, relicto parente in gravi necessitate peccet graviter, professio tamen subsecuta sit valida. Ratio est: quia nullo jure irrita, sed tantum illicita declaratur.*

III. Requiritur, ut corpore non sit multum viciatus, 116 aut deformis, quales sunt cæci, muti; fardi, deformiter claudi, aut gibbosi, Hermaphroditi, vel alio notabili corporis defectu laborantes. Ita communis *ex toto titulo, de corpore viciatis*. Cum enim ibidem corpore viciati repellantur ab Ordinibus, & statu Clericali sæculari; multo magis arceudi erunt à statu Religioso, utpotè illo perfectiore. Huc Doctores communiter reducant lepra, morbo caduco, aut Gallico affecto; item omnes ita infirmos, aut debiles, ut onera Religionis portare, aut munera ejus obire non valeant. Ita D. Thomas *2. 2. quest. 189. art. 10.* & alii. Ratio est, quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti, quod feret in simili casu.

IV. Requiritur, ut non sit criminosus, aut infamis. 117 Ratio est: quia ita statuere Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. apud Reiffenstuel *cit. num. 71. & 80.* Ex quo inferunt, Lictores, carnifices, histriones &c. Item qui homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia, aut graviora crimina commiserunt, vel de iis suspecti existunt, recipi ad Religionem non possunt. Denique non potest ingredi Religionem, qui caret conditionibus requisitis juxta cujusque Religionis regulas, & statuta. Qualiter autem alii, ut conjuges consummato Matrimonio ligati, item deflorator Virginis sub promissione etiam ficta Matrimonii, impediuntur ab ingressu Religionis, videri potest P. Patrius Sporer *de Matrimonio cap. 1. sect. 4. num. 407. & sect. 2. num. 245.* Quapropter Superiores Religionum, qui volunt aliquem ad Religionem, & Novitatum recipere, tenentur per se, vel per alios Religiosos à se deputatos capere informationem, & indagare circa qualitates de jure communi, & constitutionibus Pontificis requisitas in recipiendis ad Religionem. Ita statuere Sixtus V. & Clemens VIII. apud Reiffenstuel *cit. num. 82. & seqq.* nisi tamen jam aliunde de aliquibus conditionibus satis, ac notoriè constaret; enim verò de quibus sufficiens habetur notitia, frustranea censetur indagatio; cum hæc ex natura sua feratur ad rem occultam investigandam. Pelliz. *tract. 2. cap. 3. num. 4.* citans Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. cap. 3. num. 3.* Marchant. in *exposit. regul. cap. 2. textu 2. quest. 3. concl. 1.* Rodriguez *tom. 3. quest. 54. art. 4. & alii.*

Petes: *Quænam adhuc sint observanda circa Novitios?* 118 Resp. I. Novitii intra annum probationis pro libitu Religionem deserere, & ad sæculum redire valent. Miranda *tom. 1. quest. 22. art. 8.* Fagnanus, Pirrhing cum communis, & certa aliorum *ex cap. Consulti 20. & cap. Statuimus 23. de regularibus*, ibi: Statuimus, Novitios in probatione postquam, ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere, id est etiam non petita, & habita licentia Superiorum, hoc enim dictio libere significat *arg. capitulèr Episc. de præbendis in 6. & cap. de multa 28. de præbend.* Ratio ibidem habetur: cum quilibet possit renunciare ei, quod pro se noscitur introductum. Quid verò dicendum sit de vovente religionem, videatur Patrius Sporer *tract. 2. in 2. præcept. Decalog. cap. 2. sect. 4. §. 3. num. 156.*

Resp. II. Novitius absque legitima causa ab Ordine expelli nequit; quod, si sine justa causa ejiciatur, ejicientes graviter peccant, & Novitius appellare potest ad Superiorem, qui injustè ejectum restituere debet in integrum. Card. de Luca *de benefic. disc. 97. num. 16. allegans decisionem Rotæ 882. apud Merlin. Pellizzarius tract. 2. cap. 7. num. 60. Pirrhing. tit. de regular. num. 78. Pignatell. tom. 4. consulti. 201. num. 3.* allegans repetitas declarationes Cardinalium, & communis apud Reiffenstuel *cit. num. 114.* Ratio evidens est: Tum quia legitime susceptus acquirit jus ad rem, nempe professionem, quo sine legitima causa privari nequit: Tum quia injustè, & sine causa ejectus patitur notabile gravamen, jacturam nempe famæ, & honoris, ab injusto autem gra-

gravamine utique datur appellatio. Hinc communiter etiam docent Doctores apud P. Sporer *tract. 5. in 5. præcept. Decalog. cap. 1. sect. 4. num. 138. & seqq.* quod absque justa causa denegans Novitio votum ad professionem, peccet mortaliter, sicut e contra votum indigno tribuens; eo quod in primo casu gravem injuriam inferat Novitio, in secundo verò Religioni. Et quamvis eadem Sacra Congregatio apud Pignatellum *loc. cit.* etiam declaravit Moniales censuris ab Episcopo cogi non posse ad exprimendas causas, ob quas Novitiam ejecerint, vel ad professionem non admiserint, nihilominus censuit, posse per loci Ordinarium secretò interrogari Moniales de causis, illisque justis reperitis, monere confanguineos Novitiæ, ut à causa desistant: inventis autem causis insufficientibus, monere Moniales, ut ab injusto proposito desistant; quæ, si pertinaciter resistent, Sacram Congregationem regulariam informare debent.

120 Resp. III. Novitii gaudent omnibus privilegiis Religionis, quam intrantur. Pelliz. in *Manual. regul. tom. 1. tract. 2. cap. 7. n. 1.* Suarez *to. 4. de regul. tract. 10. lib. 9. cap. 1.* Pignatellum, Diana, Pirrhing, Reiffenstuel *cit. num. 125.* cum communi. Ratio est: Tum quia licet Novitius in effectu nondum Religiosus sit, tamen in favorabilibus Novitii veniunt nomine Religiosi, *arg. cap. religiosi 21. §. Quamvis, de sentent. excom. in 6.* tum quia Novitii sub potestate Religionis, & suo modo sustinent onera illius: ergo dignum est, ut privilegia ejusdem participent, juxta regulam *§. 5. juris in 6. Qui sentit onus, sentire debet, & commodum*. Hinc gaudent etiam privilegio fori, & Canonis, textu expresso *cit. cap. religiosi de sentent. excom. in 6.* Gaudent Indulgentiis, quibus gaudent professi. Pelliz. *loc. cit.* Portel. *de dubiis regular. vers. Novitius num. 54.* ob rationes pro Conclusionè allatas, insuper Novitii specialiter habent Indulgentias plenarias, quando Sacro habitu induuntur ex concessione Pauli V. per Bullam: *Romanus Pontifex 23. Maii 1606.* Ex his inferet Hyacinthus Donatus *tom. 2. tract. 6. quest. 22.* quod Novitii soli de more recitantes in choro horas Canonicas satisfaciunt præcepto, loco professorum, dummodò tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus, seu communitatem, sive Collegium, videlicet tres saltem, quia tres faciunt Collegium.

121 Resp. IV. Novitius potest retinere Beneficium, & percipere ejus fructus, donec emittat professionem; Ita omnes *ex cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* ibi: Beneficium illius, qui Religionem ingrediatur, non est intra probationis annum alicui conferendum, & cum textus indistinctè sonet, intelligendus est de omnibus beneficiis majoribus, & minoribus, curatis, & simplicibus. Ita Barbosa *in cit. cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 4. nu. 3.* Pirrhing *tit. de regular. num. 71.* Reiffenstuel *cit. num. 117.* Ratio est; ne impediatur egressus libertas, dum Novitius considerat, quod Beneficio, ejusque redditibus jam privatus sit, & forsitan aliunde sustentationis media difficulter habere possit. Attamen quamdiu Novitius in probationes existit, debet eidem Beneficio interim per alium deserviri, assignata sibi con grua de ipsius proventibus portione, uti expressè statutum *cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* Cujus congrua quantitas ab Episcopo determinari debet, glossa *ibidem* *Interim*. Barbosa *loc. cit. num. 8.* Pirrhing *cit. num. 76.* Sanchez *lib. 7. cap. 4. num. 14.* Residui verò fructus referendi sunt, atque restituendi Novitio tanquam vero Beneficiario, si exeat: Sanchez *cit. num. 19.* Pirrhing *cit. num. 76.* Si verò profiteatur, restitui debent Ecclesiæ, vel ad causas pias applicari, utpotè fructus merè Ecclesiastici superflui juxta dicta à P. Sporer *tract. 6. in Decalog. cap. 1. sect. 2. num. 99.* Consequenter non Monasterio, ut vult Sanchez, & Pirrhing *loc. cit.* contra quo pro nobis etiam sentit Glossa *in cit. cap. Beneficium*, & ibi Joannes Andreas ad finem. Ita Reiffenstuel *cit. num. 119.* Sed nunquid etiam Monasterium reputatur inter causas pias?

122 Resp. V. Novitio spontè egredienti, vel ex causa ejecto debent non tantum omnia, quæ secum tulit, iterum restitui, sed etiam ea, quæ ipse, vel parentes, & consanguinei, vel alii de bonis ejusdem Monasterii donarunt, iterum reddi, excepto eo, quod datum est pro victu, & vestitu. Ita Sanchez, Azorius, Pellizzarius, Tamburinus, Barbosa cum communi, ac certa aliorum apud Reiffenstuel *cit. num. 120.* & clarè habetur in Concil. Trident. *sess. 25. de regularibus cap. 16.* ubi etiam sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quid de bonis Novitii ante professionem detur, vel accipiatur. Excipit tamen Sanchez *lib. 7. cap. 5. num. 22.* Res, quæ attentis facultatibus Novitii sunt momenti, eo quod in his cesset finis, & ratio legis Concilii Tridentini; cum per carentiam rerum modicarum Novitii libertas ad egrediendum non ledatur: eadem ratione tempore ingressus modica elemosyna de bonis Novitii licet

tè, & validè absque restitutionis onere datur Monasterio, Sanchez *loc. cit.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 9. num. 2.* idem est de convivio, & aliis consuetis modicis Honorariis in ingressu dari solitis. Rursus licitum est parentibus, consanguineis, tutoribus Novitiorum aliquid etiam majoris momenti de propriis suis rebus Monasterio in ingressu, vel tempore Novitatus ante professionem donare, dummodò id exprimentur, & licitum est Monasterio id recipere absque onere restitutionis. Ratio est: quia Concilium Trident. *cit.* tantum prohibet, ne de bonis Novitii aliquid detur. Utrum autem etiam habitus probationis Novitio restituendus sit, si exeat, distinguendum est, si habitus pretio Novitii comparatus fuit, declaravit S. Congregatio Concilii Trident. non quidem habitum ipsum, sed tamen pretium illius debere restitui Novitio, Barbosa *in cap. super eo, de regular. num. 5.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 2. cap. 6. num. 28.* qui bene addit, debere restitui pretium illud solum, quod æstimatur habitus tempore discessus. Sin verò habitus sit comparatus non sumptibus Novitii, utpotè pauperis; sed ex elemosynis piarum personarum eo sine datis, ut habitum comparare, & solvere possit Novitius, Monasterium ad restitutionem pretii Novitio faciendam non teneri, bene ex Peyrin. *de R.P. quest. 3. cap. 1. §. 4. num. 108.* docet Pellizzarius *loc. cit. num. 29.* Ratio est: quia tunc cessat finis, ob quem ingredientem Religionem elemosynæ datæ sunt, censentque Donatores potius Monasterio utpotè causæ piæ, quam Novitio egredienti eas relinquere.

123 Respond. VI. Novitii neque ad tria vota, neque ad Præcepta, neque ad Statuta, neque ad horas Canonicas pro se, directe, ac sub culpa tenentur. Ita Suarez *lib. 6. Moral. cap. 10. num. 7.* Rodriguez *22. regular. tom. 1. quest. 21. art. fin.* Sylvester, Pirrhing, Pellizzarius, Reiffenstuel, & communis aliorum. Ratio est: quia novitii nec ad tria vota, nec ad aliam observantiam regularem se obligarunt, sed solum adfunt probaturi, & experturi regularem observantiam. Nihilominus ex honestate, & magna decencia ad præfata tenentur. Ratio est: tum quia *signum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam cap. Recolentes 3. de statu Monach.* tum quia juxta dicta, novitii gaudent privilegiis Professorum, ergo æquum est, ut sentiant, & onera eorundem juxta *reg. §. 5. juris in 6. qui sentit onus, sentire debet, & commodum*. Insuper tenentur novitii sub pœna ad omnia præfata; ita ut eam pro exigentia transgressionis, & arbitrio suo eis imponere possit Superior, quamdiu in Religione manent, ac in ea perseverare cogitant. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 3.* Pirrhing *tit. de regular. num. 69.* Reiffenstuel *cit. num. 126.* & alii. Ratio est: quia natura probationis postulat, ut qui sub perpetua obedientia, ac aliis Præceptis, & statutis vivere probatur, non tantum in actibus obedientiæ probetur, sed etiam tenetur, num possitas pro transgressoribus pœnas sustinere, suamque voluntatem, & judicium abnegare possit, ac velit alias enim sufficienter probari non posse.

124 Resp. VII. Novitius spontè, vel coactivè egrediens ad nullas tenetur expensas in sui victum, vestitum, & in alia necessaria ac consueta à Monasterio factas, nisi de earum solutione pactum intercesserit inter novitium, & Monasterium, aut legitima extet consecutio. Ita Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 10. num. 4.* Sylvester *vers. religio 5. qu. 8.* Pellizzarius *tom. 1. tract. 2. cap. 6. quest. 11.* Pirrhing *cit. num. 65.* Engel *tit. de regular. num. 5.* Reiffenstuel *cit. num. 127.* cum communi aliorum. Ratio est: tum quia novitii juxta supradicta debent posse libere redire ad sæculum, si volunt; atqui sæpè non possent liberè, si tenerentur ad expensas, utpotè quas, vel non haberent, vel nonnisi difficulter dare possent, sicque quodammodò coactivè manere deberent. Tum quia redditus, vel elemosynæ Monasterii non tantum ad Professos, sed etiã ad novitios ordinantur: tum quia Religionem exhibent suam ministeria: ergo dignum est, ut à religione, quamdiu servant, sustententur. Nec refert, quod expensæ subinde excedant ministerium Novitii; quia hoc profusus pro accidens est, nec Novitio daretur aliquid casu quo labores ipsius excederent expensas Monasterii in sui sustentationem factas, prout facile contingere potest. Dicitur est, *nisi de earum solutione pactum intercesserit, aut consecutio legitima extet* (prout in multis Monasteriis Monachalium contingit) tunc enim expensas à Novitio solvendas esse, tam citati, quam alii DD. communiter observant, *arg. Concilii Trident. sess. 25. de regular. cap. 16.* ubi prohibetur aliquid dare, vel accipere de bonis Novitii, *Excepto victu, & vestitu*: Si enim pro hoc licet aliquid dare, vel accipere, licebit etiam pacificè, ut detur; quo factò, utique dandi erit obligatio; cum pacta servanda sint *cap. 1. §. 3. de passis*. Notant tamen Sanchez, Pellizzarius, & Pirrhing *loc. cit.* Non posse impediri Novitium ab egressu, donec solvat; sed si tunc non habet, aut solvere recusat,

culat, cum postea convenire, & sibi imputare debet Monasterium, quod talem suscepit.

25. Resp. VIII. Circa Novitios etiam notandum est sequens Decretum Concilii Tridentini, sess. 25. de regular. cap. 16. sic sonans, nulla quoque renuntiatio, aut obligatio facta etiam cum juramento, vel in favorem cujusvis cause pie valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliis intelligatur, effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus. Ubi sub nomine renuntiationis, & obligationis comprehenduntur omnes tam lucrativi, quam onerosi inter vivos contractus, quibus Novitii libertas Religionem deserendi, aliquando laedi posse, prudenter præsumitur; adeoque comprehenduntur omnes donationes notabiles, remissiones debitorum, & obligationum notabilium, renuntiationes, & donationes iurium, privilegiorum &c. etiam si fiat cum expressa, vel tacita conditione securæ professionis. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 5. num. 17. Navarrus, Miranda, Pirrhing, Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 8. Reiffenstuel cit. num. 135. & alii. Ratio est: quia Concilium Tridentinum universaliter quælibet renuntiationem sine præscripta forma factam irritat. Non tamen sub nomine renuntiationis, & obligationis comprehenduntur Testamenta, ac aliæ dispositiones mortis causa, adeoque valent, sive ante, sive post ingressum Religionis fiat, etsi non condantur juxta formam in præfato Decreto præscriptam: dummodo habeant cætera juris requisita. Sanchez cit. num. 12. & 13. id asserens dubio care. Miranda tom. 1. quest. 23. art. 4. Rodriguez tom. 2. quest. 48. art. 9. Navarrus, Lessius, Donatus, Reiffenstuel cit. num. 136. cum communissima aliorum. Ratio est: tum quia testamentum, ac aliæ dispositiones mortis causa, puta codicilli, donationes mortis causa &c. nec renuntiationes, nec obligationes sunt; nec in minimo lædunt libertatem Novitii, & consequenter in eis ratio Decreti nullatenus militat hoc ipso, quod ex natura sua ante Professionem, & pro libitu à Novitio revocari valeant, ut citati DD. bene observant: tum quia pro hoc adest expressa Declaratio Cardinalium SS. Concilii interpretum apud Fagnanum. Possuntque Novitii condere Testamentum ante, vel post ingressum Religionis, in principio, medio, vel fine anni probationis, vel omnino non condere Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem. Reiffenstuel cit. num. 137. Nec sub nomine renuntiationis, & obligationis comprehenduntur contractus onerosi illi, vi quorum Novitius tantum recipit, quantum dat, quales sunt emptio, venditio, locatio. Ita Sanchez lib. 7. Moral. cap. 5. num. 34. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 5. Pirrhing, Donatus, cum communi apud Reiffenstuel cit. num. 140. Ratio est: quia in his contractibus nec in minimo læditur libertas Novitii, hoc ipso, quod recipiendo tantum, quantum dat, à parte rei nihil perdat. Plura vide apud Auctores cit.

26. Resp. IX. Circa Novitias Moniales notanda etiam est dispositio Concilii Tridentini, sess. 25. de regular. cap. 17. ita sonans: libertatis Professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens S. Synodus, statuit, atque decrevit, ut puella Professionem non emitat, ante quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus, ab eo deputatus, Virginis voluntatem diligenter, ac coacta, an seducta sit? & quid agat, & sciat? cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfata Monasterii, cum ante mensem certiore reddere: quod si non fieret, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Quæ dispositio Concilii tangit Superiores Monasteriorum etiam exemptorum. Hac de re etiam sequentia statuit S. Pius V. teste Barbosa in Concil. Trident. loc. cit. Volumus etiam quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint? examen faciendum non nisi infra quindecim dies, postquam juxta Concilium Tridentinum Episcopi, vel eorum Vicarii requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis amplius in hoc se intrromittere illis non liceat: cujus occasione, nec Episcopus, nec ejus Vicarius intra septem Monasterii ingrediantur, sed fiant ante ferream cratem, & interrogaciones alias, quàm eas, quas Concilium præfatum jubet, ab eis fieri omnino prohibemus, ac simul volumus, quod puellæ, seu Novitiæ ipsæ ad alias interrogaciones minime teneantur. Ita S. Pius V. in sua 41. Constitutione: est Mendicantium, quæ habetur tom. 2. Bullarii Romani. Et quamvis Concilium Tridentinum cit. velle videatur, ut bina vice taliter exploretur voluntas puellæ Monasterium ingredientis, nempe ante ingressum Religionis, & rursus ante professionem: atque ita declarasse S. Cardinalium Congregationem referat Thomas Zerola part. 1. praxim Episcopalis, V. Monialis num. 1. Nihilominus consuetudine in pluribus locis receptum esse, ut explo-

ratio voluntatis puellæ semel tantum fiat, nempe ante emissionem professionem, testatur Miranda in tract. de Monialibus quest. 8. art. 4.

Resp. X. Novitii, etiam Ordinis nostri possunt valide confiteri, & absolvi à peccatis, etiam intra Ordinem reservatis, absque licentia Prælatorum Ordinis, per Sacerdotes tam regulares, quam seculares, per quos potuissent absolvi, si in sæculo permanissent. Ita Rodriguez tom. 1. quest. 22. art. 11. Miranda tom. 2. quest. 34. art. 16. Portel. V. Novitii absolutio, Lezana, Diana, cum aliis apud nostrum P. Kerckhove in statuta Gener. cap. 1. §. 7. num. 4. Ratio est: tum quia Novitii ante professionem non sunt vere, & realiter Religiosi, licet favoribus Religionis fruantur, sed quoad hoc sunt in statu sæcularium: ergo si confiteantur approbato ab Ordinario, valida erit Confessio. Tum quia Novitius non ligatur aliis statutis, vel etiam punctis regulæ, sic, ut si illa transgrediat, graviter non peccet: ergo nec ligatur hoc statuto de confitendo soli Novitiorum Magistro. Objectiones contra nostram responsionem solutas, videre potes apud Kerckhove cit.

S. IV. Professio Religiosa.

Professio Religiosa est promissio liberè facta, & legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum se adstringit certæ Religionis ab Ecclesia approbatæ. Estque duplex, expressa nempe, & tacita, ex cap. 1. de regular. in 6. Professio expressa est, quæ fit verbis, vel scripto, vel utroque simul, vel etiam nudo, aut signis. Tacita est, quando quis sine verbis vel scripto, signo, vel facto alio externo, mentem suam obligandi se ad tria vota, & certam Religionem manifestat, de qua infra. Itaque ad valorem Professionis Religiosæ ut sic requiruntur quatuor.

I. Aperiendo voluntatis; nimirum, ut legitimum ætatem habeat, videlicet annorum sexdecim completorum: aliis juxta Concilium Tridentinum sess. 25. de regular. cap. 15. Professio in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum est nulla. Item ut proficiens nullum impedimentum habeat, quod, vel simpliciter, & in omni Religione, vel in tali ordine per constitutionem, à Papa confirmatam, substantiale, & professionem non solum illicitans, sed etiam invalidans censeatur. Nam sicut Matrimonium carnale nequit invalidari, nisi jure naturali, Divino, vel humano, eoque solo Papali: ita etiam se res habet in Matrimonio spirituali, seu Religionis per substantialia vota assumptione. Ita Navarrus lib. 3. Consil. 25. de Regularibus, edit. 1. Rodriguez tom. 2. Summ. cap. 6. Conclus. 3. Matris Theolog. Moral. disp. 14. quest. 1. art. 1. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 4. & alii apud la Croix lib. 4. num. 12. Quænam verò impedimenta sint tantum illicitantia, seu impedientia, ne professio licite fiat: quænam verò sint invalidantia, seu, ut ita dicam, dirimentia, quæ nimirum faciunt professionem invalidam, difficultas est. Quantum ad impedimenta inducta à particularibus cujusvisque Religionis constitutionibus à Papa confirmatis, sciet quælibet Religio, quænam sint impedimenta invalidantia professionem. Quantum verò ad impedimenta jure communi inducta: imprimis certum est, quod, si in valide baptizatus profiteretur, hujus professio esset invalida, possetque Religione egredi: quia nulla Religio intendit, imò non potest recipere quemquam, nisi verè baptizatum: cum in non baptizatos nec Ecclesia, nec Religio habeat jurisdictionem, Ita omnes. II. Sixtus V. Statuerat, ut invalida esset professio quorundam Criminosorum: Item illius, de cujus vita, moribus, ætate non esset certa informatio: sed Clemens Octavus restituit ejusmodi professioni valorem, relicta tantum pœnis aliis contra Superiores, qui criminosos, aut non præmissis informationibus aliquos admisissent ad professionem, ut refert Lugo in respons. Moral. lib. 4. dub. 1. Kerckhove in statuta Gener. cap. 1. §. 1. num. 2. III. Si Hermaproditus, in quo uterque sexus erat æqualis, fecerit professionem, Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 106. apud la Croix citat. num. 23. docet, hanc esse nullam; cum enim sit gravis indecentia, & periculum gravium abusuum, credendum est, Ecclesiam non admittere talem professionem, aut antecedentes velle, talem hominem esse incapacem. IV. Illegitimè nati, etiam spurii, non prohibentur à susceptione habitus Religiosi, spectato jure communi ex cap. 1. de filiis Presbyterorum. Quorundam tamen Ordinum, & Monasteriorum Statuta tales suscipi vetant. Ita Layman lib. 4. tract. 5. cap. 10. num. 4. Rodriguez tom. 1. 20. regular. quest. 13. art. 3. Suarez, Sanchez, Miranda, Portel, Kerckhove citat. num. 38. quem vide. V. Ligatus Matrimonio consummato nequit validè pro-

profiteri absque alterius conjugis libera licentia, exceptis casibus in jure exceptis. Kerckhove cit. num. 8. seqq. VI. Infectus morbo contagioso, vel caduco, hoc est, infectus lepra, Paralyti, lue venerea, seu morbo gallico, epylepsia, vel alia simili infirmitate, attentò solo jure communi validè videtur profiteri. Ita Rodriguez tom. 1. quest. 17. art. 9. Miranda, Hieronymus, Rodriguez, & alii communiter, apud Kerckhove cit. num. 18. contra Peyrinis. Ratio est: quia ægrotudo etiam mortifera non videtur annullare professionem. VII. Servus propriè dictus seu mancipium de licentia Domini validè proficitur: At sine licentia Domini, validè profiteri, negant probabilis Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 5. num. 49. Peyrinis tom. 2. quest. 3. cap. 1. §. 2. num. 45. & alii apud Kerckhove cit. num. 29. contra Suarez. Ratio est: quia nemo potest alteri tradere, quod suum non est: aliàs posset etiam Uxor intrare Religionem invito marito, quod nemo dixerit. Et quamvis Jus Canonicum talem professionem non irritet, est tamen irrita jure naturæ. VIII. Infames validè profitentur, quantum est ex dispositione Juris Communi, quia nullibi horum professio irritatur. Ita Peyrinis tom. 2. quest. 3. cap. 1. num. 85. & Donatus tom. 2. part. 2. tract. 3. quest. 2. IX. Professio eorum, qui ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum sunt gravati, hodie est valida ex Bulla: In suprema Clementis VIII. Ita communiter omnes apud Kerckhove cit. num. 62. X. Filii filii neglectæ Parentibus subveniendi obligatione validè, licet graviter illicitè proficitur. Ita Rodriguez, Sanchez, & alii apud Kerckhove cit. num. 72. Ratio est: quia talis professio nullo jure est irrita. XI. Obligati ad rationica illicitè, at tamen validè profitentur ob moderationem Clementis VIII. Vide Kerckhove cit. num. 8. XII. Advertendum etiam ex Fagnano, quod licet graviter peccent Superiores absque examine Episcopi (de quo supra respond. 9. num. 25. diximus) puellam ad professionem admittentes, tamen professio valida sit, pro contra plures decisiones Rotæ apud Pignatellum tom. 9. consult. 173. num. 129. declaravit Sacra Congregatio apud Fagnanum. Ita Reiffenstuel in 3. Decret. cit. 31. num. 185. Denique Lessius in Auth. V. Professio Religiosa, Cas. 9. apud la Croix cit. num. 27. ait: quamvis in statutis alicujus Ordinis dicatur, Ordinem non obligari retinere aliquem, qui in examine retinuerit certum aliquem defectum, id tamen videtur intelligendum tantum pro tempore Novitiatu, vel ante professionem; hinc si profiteatur etiam mala fide, non idè professio est invalida. Ita Lessius cit. Sed intelligendum videtur, nisi talis defectus sit, ex constitutionibus illius Ordinis à Papa confirmatis, impedimentum invalidans professionem juxta supradicta.

III. Annus Probationis integer, & completus prærequiritur ad valorem professionis ex Concil. Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. ibi: nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur: Professio autem antea facta sit nulla, &c. Et quidem hic annus debet esse continuus juxta communissimam apud Reiffenstuel cit. num. 103. Imò juxta Fagnanum, est omnium scribentium in cap. ad Apostolicam de regular. Ratio est: quia juxta Concilium Tridentinum, Professio illius dicitur irrita, qui non per annum steterit in probatione: generaliter enim, quando in jure certum aliquod tempus requiritur, intelligi debet de tempore continuo, nisi ex subjecta materia contrarium colligi possit, ut bene cum aliis notat Fagnanus in cap. infirmante, qui Clerici, vel voventes. Si tamen Novitius de licentia sui Prælati, & cum habitu intra annum probationis de Monasterio exeat, & extra illud per aliquod tempus v.g. per duos, quatuor, aut sex menses ex negotiis, vel sanitatis, vel visendi parentes, vel se recreandi causa &c. moretur, non interrumpit annum, sed potest eo expleto Novitius profiteri. Ita cum communi aliorum Miranda tom. 1. quest. 22. art. 5. Fagnanus cit. num. 38. Tamburinus, Navarrus apud Reiffenstuel cit. num. 107. Ratio est: tum quia Religiosus ubicunque de licentia, & sub obedientia Superioris degit, in Monasterio degere, fisione juris censetur. Tum quia nullo jure cavetur, ut Novitius toto probationis anno degat in Monasterio. Illud etiam cum Navarrus, & Fagnano cit. notandum, quod etsi Novitius post susceptum habitum infirmetur, & per octo, vel decem menses in lecto decumbat, nihilominus elapso anno validè profiteri valeat, ex cap. sicut nobis 17. de regular. & docent teste Navarros lib. 1. Concil. 32. de regular. Omnes DD. vide Reiffenstuel cit. num. 108. Deinde annus probationis seu Novitiatu debet esse completus de momento in momentum. Ita Fagnanus in cap. ad nostrum 16. de regular. Miranda tom. 1. quest. 22. art. 3. concl. 2. dicens, hoc esse certum. Sanchez, Lessius, Azorius, Barbosa, Navarrus, Sylvestre, Sannig, Reiffenstuel cit. num. 94. cum communi aliorum. Ratio est: quia Concilium Tridentinum cit. ad valorem professionis requirit, ne Mi-

nori tempore, quam per annum in probatione steterit. Id ipsum censuit Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, prout videre est apud Barbosam in citat. textu Concilii Tridentini. Refert eam etiam Fagnanus cit.

Nihilominus in casu, quo Novitius, vel Novitia versatur in probabili periculo mortis, dummodò decimum sextum annum jam impleverit, potest validè fieri professio ante annum probationis finitum. Ita Rodriguez tom. 3. quest. 15. art. 6. Miranda tom. 1. quest. 22. art. 10. Sanchez lib. 5. Moral. cap. 4. nu. 16. Pellizarius, Fagnanus, Reiffenstuel cit. num. 182. Ratio est: quia S. Pius V. Bulla: Summi Sacerdotis Cura, hoc monialibus S. Dominici concessit his verbis: Monialibus Novitiis nunc, & pro tempore existentibus, & earum singulis, ut quando, & quoties aliqua ex iis nondum professa, de alicujus Medici consilio, ab hoc seculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione anime sue professionem prædictam ante tempus requisitam (quatenus tamen in etate legitima constituta sit) ad illam emitendam in manibus Abbatissæ, vel Priorissæ, vel alterius Superioris Novitiarum ipsius Monasterii, seu domus, ita tamen, quod ipse Moniales Novitiæ sic decedentes Indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè professe consequuntur, consequi possint, emittere in articulo mortis libere, & licite valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus &c. nec non ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum Indulgentiam in forma Jubilæi misericoiter in Domino largimur. Quæ gratia licet solis Monialibus S. Dominici sit concessa, nihilominus ob communicationem privilegiorum etiam ad alias Religiones extenditur, ut bene advertunt DD. citati. Nec est revocata, ut ostendit Rodriguez cit. Si tamen Novitius, vel Novitia præter spem reconvaleat, tenetur sic professus, vel professa reliquum Novitiatu absolvere, & iterum profiteri. Ita Rodriguez tom. 1. quest. 55. Hieron. Rodriguez refol. 101. Miranda tom. 1. quest. 22. art. 10. Portel. verif. Novitia num. 5. Kerckhove in statuta Gener. cap. 1. §. 11. num. 8. Reiffenstuel cit. num. 183. & alii, quatenus docent, quod in tali casu Monasterium non succedat in bonis Novitii sic professi, sed parentes, qui veniant ab intestato, adeoque juxta hanc sententiam non debent Monasterio solvi dos pro Novitia constituta, si sic profiteatur. Ratio est: quia Pontifex tantum concessit hoc privilegium pro spiritali consolatione ipsius Novitiæ mortis, ut patet ex verbis modò citatis: Ut pro consolatione anime sue &c. Sic decedentes Indulgentiam, & alias gratias consequi possint &c. Nec non ita professis decedentibus plena peccatorum suorum Indulgentiam in forma Jubilæi largimur. Adeoque non est mens Pontificis, ut vel Monasterio, vel ipse sic proficiens si supervivatur, aliquid aliud emolumentum inde percipiat. Deinde ex verbis citatis hujus privilegii satis colligitur, quod ista professio sit tantum conditionalis, nempe si sic proficiens tunc moriatur: dicit enim Pontifex: sic decedentes, ita professis decedentibus: ergo si non decedant, gratias istas non consequuntur, adeoque non censetur absolventè profecti. Denique pro hac sententia adducit Lezana tom. 1. cap. 25. num. 39. declarationem Cardinalium ex Fagnano in Manuali Episcopi. verif. Monialium professio num. 4. & 5. Denique licet dicat Concilium Tridentinum sess. 25. de regular. cap. 16. Finito tempore Novitiatu, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profectum amittant, aut à Monasterio ejiciant, tamen hoc non obstante potest ex justa aliqua causa professio differri ultra annum, si nempe finito anno Novitiatu non inveniantur habiles. Ita Rodriguez tom. 3. quest. 13. art. 10. Miranda tom. 1. quest. 25. art. 11. Barbosa in cit. Concil. Trident. plures alios allegans cum communi. Ratio est: quia Concilium Tridentinum cit. intelligendum est de habilibus, ibi: quos habiles invenerint, ita ut hos finito anno admittere, vel rejicere teneantur Superiores; consequenter si finito Novitiatu, aliquem nondum habilem deprehendant, ejus professionem differre possunt, uti teste Rodriguez cit. declaravit S. Pius V. dummodò habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles intra sex menses, prout expressè subjungitur in citata declaratione S. Pii V. quàm lege apud Rodriguez; qui apud nostrum P. Kerckhove in statuta Gener. cap. 1. §. 11. num. 19. adverteit, quod Concilium Tridentinum cit. tantum loquatur de Novitiis masculis, non autem de Novitiis Monialium, ut ex littera satis patet, ibi: Novitios, quos habiles invenerint: nam quando de utriusque generis Novitiis disponere voluit, dixit: Novitii, vel Novitiæ, & cap. 15. in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum. Atque ita servat usus, ait Sanchez: cap. enim Monialium professio diutius differtur, donec dotem competentem habeant.

III. Ad valorem professionis Religiosæ requiritur, ut 1. fiat plene deliberatè, & liberè, sine errore circa substantiam, & sine metu gravi ab extrinsecò injustè incussò, ad